



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

210. An priori petanti debitum, liceat prius soluere? Et pro solutione huius difficultatis prius aliquid supponitur. Et an vero hoc intelligatur de petitione in iudicio, & post sententiam latam, an ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

babile quod docet Azorius *tom. 3. libro 4. cap. 36. questione 6.* ubi ait: Has leges potius videtur negare actionem creditori posteriori petenti contra diligentiorum, quam diligentiori concedere ius praedationis. Ex naturali autem iure per petitionem solam priorem non acquirit tale ius. Molina verò affirmat habere tale ius, quando in iudicio posterior prius petit. At verò quando extra iudicium petit, non audeat peccati damnare debitorem prius soluentem; sed ait se consuliturum illi, ut bona tradat distribuenda creditoribus pro rata.

6. Ex assertionem nostra posita colligitur, asserendum esse tertio, creditorem etiam tempore posteriorum, licet posse petere, & accipere solutionem sui debiti, quando timet debitorem non fore solvendum. Unde ad nullam tenebitur restitutionem aliis faciendam.

7. Unde ex his confessarius, vel poenitens poterit, ut ei placeat respondere, & cui voluerit gratificari; nam quae diximus cum dicatillo satis probabilia sunt.

RESOL CXXI.

An secluso alio privilegio, & ceteris paribus in solutione alicuius debiti creditor antiquior, & pauperior sit preferendus creditori posteriori? Ex p. 11. tr. 3. & Misc. 3. Res. 11.

§. 1. **P**lura, & quotidiana dubia, & ad primum affirmatiue respondet Salonijs in 2. 2. *quest. 62. articulo 8. in fine Valentia tom. 3. disput. 5. questione 6. punct. 10.* Toletus in *summa, libr. 5. cap. 25. vers. vltimum tenent.* Idem docet Rebellius *lib. 2. quest. 19. conclus. 6.* Omnes hi Authores putant integrè solvendum creditori qui prior est tempore, & nihil sequentibus si nihil residuum fuerit. Probat, quia illa regula Bonifacij Octavi, quae est *4. de rigid. iur. in 6.* qui prius est in tempore potior est iure generaliter proposita est sine vlla restrictione à Papa, qui omnium Christianorum Pater, & Doctor est, ut definit Tridentinum sessioe vltima, & ad quem pertinet leges civiles corrigere, quando à fide, & bonis moribus aberrant propter fecisse sapius constat, & probat Syluester *verbo Lex §. 10.*

2. Secundo probant, quia non solum in restitutione faciendi creditoribus hypothecatis habet locum regula illa, sed etiam in multis alijs. Nam in Capitulis, & Congregationibus antiquiores tempore habens ius praedationis quando cetera sunt paria, ut in sedendo, in ferendo suffragia, in dicendo sententiam, in subscribendo, & in habentibus gratias expectatias in eadem Ecclesia, vel Academia. Item qui prius impetrauit litteras Apostolicas praefertur, & praevalet posteriori.

3. Confirmantes supradicta cum priora sponsalia posterioribus etiam iuratis secundum iura, & Doctores praefertantur, & qui prius locavit operas alicuius, praefertur locanti posteriori in operis *ff. locati*; atque idem est de eument prius, quando posteriori non est facta traditio, ut supra dicimus, & sic de alijs propter hanc tertiam rationem, haec opinio mihi videtur valde probabilis, non minus quam sequens, quae ratio confirmari potest, quia quando prius debitum contrahitur, debitor est magis solvendo, quam postea, quando noua debita accedunt. Unde rationi consonum est, ut prius creditor non fraudetur propter debita posteriora.

4. Et ideo hanc opinionem praeter Doctores citatos tenet etiam Emanuel Sa *ver. Restitutio n. 61.*

5. Sed contrariam sententiam docet Stephanus Fagundez in *Discologum, tomo primo libro septimo, ca-*

pite 34. numero 2. qui citat Lessium, Molinam, Valquez, & Valderum, quibus ego addo Baurnium *parte tertia, libro quarto, capite 36. questione quinta.* Reginaldum *tom. 1. libro 10. numero 248.* Bannez, & Aragonium in 2. 2. *questione 62. artic. 8.* Petrum Nauarra *de restitut. libro quarto, capite vltimo, dubio quinto.* Galparum Hurtadum *de Iustit. disput. 7. difficult. 7.* Layman *libro 3. tractatu 2. capite 11.* Nauarra *cap. 18. num. 53.* qui testatur de quotidiana praxi. Et probatur haec opinio, quia huiusmodi praefertentia non datur; nec colligitur ex iure positio Canonico vel ciuili: Nam regula citata solum applicatur debitis realibus, seu habentibus hypothecam, non autem debitis personalibus, qui non habent aliquam hypothecam, & id satis colligitur ex multis iuribus *cap. Qui priores in pignore, l. privilegia ff. de privileg. credit.* Nec sumitur ex iure naturali, si enim esset de iure naturali, non negaretur in iure positio; sed supponeretur, quia leges & iura positua ciuilia & canonica supponunt ius naturale, & non negant illud, alioquin iniusta essent.

6. Secundo, quia ex praecisa antiquitate non sequitur maior iniuria, nec maius damnum absolute loquendo, quia debitum posteriori potest esse longe maius, ac proinde maius incommodum patietur creditor eo breuiori tempore, quam creditor antiquior, ut patet. Accedit, quod ex eo quod creditor prior patietur damnium ex maiori duratione grauius, & grauius, quam creditor posterior; inde solum inferitur, quod damna emergentia, si dentur, debeant prius restitui antiquiori creditori, non tamen sequitur ius praedationis, & praefertentiae in solutione debiti, seu capitalis, nec etiam debitor fit impotentior, quando debita contracta fuerint, vel ex mutuo, vel ex empto, vel ex permutato, nec praesumendum est posteriora debita facta fuisse in fraudem priorum creditorum, dum id non constat, & euidenter probatur.

7. Itaque secundum hanc sententiam dicendum est omnes creditores personales, seu chirographarios aequales ius habere ad bona debitoris, etiam si alij sint priores tempore, & alij posteriores: ac proinde bona debitoris esse eis pro rata diuidenda, ita ut qualis fuerit proportio debiti ad debitum, quoad quantitatem, talis sit proportio eius quod vnusquisque accipit, ad id quod alij accipiunt.

8. Quid ego sentio dicam breuiter. Sciant igitur Confessarij, & poenitentes in foro conscientiae vtramque sententiam esse satis probabilem, & tutam in praxi, & ideo securè, cui voluerint possunt adherere, & ita tenet Dicastillus *de Iustit. libro secundo, tractatu secundo, disputatione vndecima, dubio quinto, num. 67.* Dixi in foro conscientiae, nam obseruat Dicastillus in foro exteriori Iudices priorem sententiam sapius amplecti, & quidem temporis praerogatiua ceteris paribus, non videtur contemenda; sed ut verum fatear, ego neque Iudici in foro exteriori hoc onus imponerem, nam opinio negatiua ut bene obseruat Hurtadus, *loco citato*, fundatur in *Lege privilegia ff. de privilegijs credit.* & ratione constat, quia debitum antiquius, nullo iure positio praefertur, quia nullum pro eo extat, nec iure naturali; quia debitum minus antiquum, non est minus quasi intensiue, nec est minus strictè debitum ex iustitia quam antiquius. Praedicta autem regula, quae tantum est iuris positui & non naturalis, tantum traditur pro debitis realibus, seu hypothecarijs, non pro personalibus, ut in dicta lege indicatur.

9. Quoad secundum dubium, videlicet an ceteris paribus creditor pauperior sit preferendus pauperi? Respondeo affirmatiuam sententiam docere D. Thomam *Opusc. 73. cap. 19.* Rebellium *lib. 2. quest. 19. num. 13.* Sa *verb. restit. num. 62.* Valent. *tom. 3. disput. 5. quest. 6. punct. 11.* Medina *de restit. quest. 2. dub. 1.* & alij asserentes